



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 20. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & paraverunt Pascha.  
v. 19.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**D**omine, da gratiam ut lubenti tibi semper animo seruiam, ut hi Apostoli: sequar illos in bono, iudam detester in malo, ut sempiternum malum fugere, aeternum vero bonum tecum merear possidere.

§. 18. *At Iesus dixit: Ite in Civitatem ad quendam, & dicite ei Magister dicit. v. 18.*

Dicit ergo eis: ite in civitatem scilicet Ierusalem quae convenire solebant Iudaei ad comedendum Pascha tanquam locum destinatum: ad quendam amicorum, cuius nomen edicere noluit, ut divinitatem suam, per providentiam insignem, quae secreta est, discipulis manifestaret. Ab isto vero ad quem mittebantur discipuli Christus multum diligebatur, ideoque confidenter ad eum mittit, ut in domo eius sibi pararetur Pascha. Omnino sic Deus agit qui diligunt eum, ipsos visitat, cum illis manducat, & secretorum facit participes.

**O** Si ego quoque sic te amem mi Iesu, ut merear à te visitari, tecum Pascha comedere in domo cordis mei, & ibi audire arcana, ac monita quid me oporteat facere, ut tibi semper placeam.

§. 19. *Quia tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. v. 18.*

Causam quam edicant discipuli Domino domus, nempe *tempus meum prope est*. Erat id quasi symbolum, quo audito annueret Apostolis facilius, ut pararent Pascha in domo sua quod ecce Paschale tempus adest, & ego agnus ille sum, qui immolari debet pro peccato mundi, hoc mysterium apud te inchoabo incruente, postea alij cruento modo, quod symbolum potuit Christus antea hospiti dedisse ut Passionis & mortis suae telleram, vel tunc divinitus ei aperuisse.

**Q**uam bonum esse amicum Dei, qui ubique & semper curam habet de suis ne decipiantur vel verbo vel facto; sed potius praevent in sinceritate revelando arcana sua, ideoque me tibi o Deus offero in discipulum & servum perpetuum.

§. 20. *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & paraverunt Pascha. v. 19.*

Ecce obedientiam discipulorum erga Magistrum! quam prompti sunt ad mandatū etiam cæcum! ut illud exequantur, apparaverunt Pascha non per alio-

aliorum ministerium sed proprijs manibus, & industria, non tamen fecerunt, sed ut dicit textus paraverunt, Domino & Magistro suo dimittentes operationem, factionis, ipsi præparationem solum seu dispositionem adorarunt.

**O** Domine sim oro ita constitutus, ut ad omne mandatum tuum paratus sim sicut hi discipuli, nec solum paratus & promptus sed cum effectu & affectu sicut illi faciam omnia quæ jubes, ut merear tecum cæleste comedere Pascha in cælis, esse Commensalis discipulorum tuorum qui tibi prompto animo servierunt.

§. 21. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. v. 20.*

Cum iam appropinquaret tempus & hora ut propositum Pascha celebraret Iesus & ultimum mortalis ipse commederet cum discipulis suis, procul dubio lassus & esuriens & sitiens ob labores exantlatos accedit ad mensam cum discipulis invocato patre suo cælesti, & more orientalium, non sedens, sed accumbens in culeitris cepit frui paratis. quis huic mensæ non libenter adfuisse? O si mihi licuisset saltem astare cum uno è 72 discipulis, & audire Ch. isti dulces sermones, & videre mores illos divinitimos & cæremonias! quam felix! & quam ardentem in Christi Domini amorem raptus fuisset. Felices vos qui interfuitis, felices qui etiamnum interestis mensæ Domini!

**O** Mi Iesu da gratiam, ut dignus inveniar semper tua præsentia licet multis modis me indignum fecerim & astare mensæ tuæ, ut saltem sumam micas devotionis & salutis, quæ ex ea copiose descendunt.

§. 22. *Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est. v. 21.*

Dum manducat in sacro illo suo hospicio, uti creditur, Montis Sion, Dominus Iudam adhortatur ad pœnitentiam, aperitque sine, nomine rei, delictum, publice dicens: *Vnus ex vobis, qui adest in mensa mecum me traditurus est.* quare hoc? ut deterretur per detectionem illam & abstineret ab iniquo suo proposito: Ex quibus quidem verbis alij discipuli perterriti & confusi, examinabant sese invicem & interrogabant, an quis quidpiam sciret de quoquam, alij examinabant secretò propriam conscientiam, si quid fors ibi secreto lateret, quod vel cogitassent inique, aut fuissent locuti. Unus solus Iudas immeritus in peccato. sciebat, quid egisset cum Iudæis, ut Iesum traderet, iniquum tamen propositum relinquere nolebat. Heu ingratus animus & obstinatus, quam es durus!

O Da-